Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31237
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> Kontakt: Stift Stams   <img src="https://manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">

E.g. Sit Epacta IV: ergo litera hujus Martyrologii est O. Itaque, cum vis prænunciare Lunam pro 8ª Sept. aspice in margine literam O: suprascriptus numerus XIX, indicat Lunam decimam nonam. Si vero Epacta fuerit e.g. XXVIII; litera Martyrologii hujus erit h minus. Ergo attende ad literam H assignatam in margine inferiori ad diem 9ᵃᵐ Sept. Numerus XIII erit quantitas Lunæ pro die 8ª Sept.

3.

Post Lunam prænunciatam, primo loco annunciatur festum, quod postero die celebrandum venit; sive Immobile, sive Mobile, sive in Martyrologio notatum, sive non sit. Deinde sequitur reliqua Lectio pro die assignata: quæ semper concluditur, ut notatur 24ª Decembris. Flexus vocis significatur sic ? Metrum vero sic ! Punctum a litera seq. majore.

4.

Festa Mobilia prænunciantur sequentibus formulis:

Dom. Septu. Dominica Septuagesimæ ! in qua deponitur canticum Domini, Alleluja. **Dies Cin.** Dies Cinerum ? & initium jejunii sacratissimæ Quadragesimæ. **Dom. Palm.** Dominica Palmarum ! quando Dominus noster Iesus Christus, juxta Zachariæ prophetiam, sedens super pullum asinæ Ierosolymam intravit ? cui turba cum ramis palmarum obviam venit. **Cœn. Dom.** Cœna Dominica ! quando Christus, pridie quam pro nostra salute crucifigeretur mysteria Corporis & Sanguinis sui Discipulis tradidit celebranda. **Asc. Domini.** In monte Oliveti ? Ascensio Domini nostri Iesu Christi. **Pentecost.** Dies Pentecostes ! quando Spiritus sanctus Ierosolymis super Discipulos igneis linguis advénit. **Trinit.** Festum sanctissimæ & individuæ Trinitatis. **Corp. Chr.** Festum sacratissimi Corporis Christi.

5.

Quo die festa Mobilia incidant, vide in fine hujus libri.